Diſputatio Philoſophica
DE VIRIS,

Quam

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

AUSPICE JEHOVA

In Illuſtri Academiâ VVittebergenſi

SUB PRÆSIDIO

Clariſſimi, & Præſtantiſſimi

DN. M. GODOFREDI CUNDISII
Radebergâ-Miſnici, Facultatis Philoſophicæ
Adjuncti digniſsimi, Fautoris colendiſsimi

Publicæ diſquiſitioni ſubjicit

GOTFRIDUS SLUTERUS
Gottingâ-Saxo.

Ad diem 31. Martii horis matutinis

In Auditorio majori.

WITTEBERGÆ
Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH
ANNO CIↃ IↃ CXXIX.

THESIS I.

DElphicum illud, γνῶθι σεαυτὸν, & nobis jam dictum eſto. Alienæ quippe mentis id quærere foris, domi quod ſuppetit. Compendii ductum & nos imitabimur, quem ſummus ille naturæ Architectus in nobis expreſſum adumbrare voluit.

2. Sublimioribus verò facile cedimus, illaque relinquimus, ad quæ noſtra non pertingit tenuitas. Sexûs alterutram conſiderabimus diſcrepantiam, non obſcuræ difficultatis materiam.

3. Mira res ſanè, quæ nec Creatoris tacet ſapientiam, nec præſtantiam noſtram, omnia ſi perſpexeris.

4. Prævià deliberatione curioſorum artificum more, arduũ quaſi negotium aggreſſuro, ad imaginem ſui hominem creare non ſufficiebat, conferre & ſexus diſcrimen immenſa bonitas voluit in pleniorem jucunditatis perceptionem.

5. Res non indigna ſpeculatione, ſi & hanc Creatoris artificii particulam in homine contemplemur, cum ne minimum in illo intueri liceat, quod non mirari conveniat.

6. Nil in hac laſcivi & quod ingenuos arceat, nî animus infectus & conſpurcatus accedat.

7. Nos virilem ſexum nunc noſtrum faciemus: primatum is facilè obtinebit, utriusque factâ collatione.

8. Florem vero ætatis potiſſimum in conſiderationem vocamus, ubi omnia in debitâ perfectione conſpicua magis nobis offeruntur.

9. Ne autem in tàm ampla materiâ copia confuſionem pariat, & potiora intacta relinquantur, Entium ſumma genera erunt, quæ hæc præcavebunt.

10. Ductum itaque illorum ſequimur, & quot ſunt ge-

nera, tot noſtro diſcurſui facimus quoque membra. Prodeat itaque

I. SUBSTANTIA.

11. Plus juris in ſexum virilem transferri non poſſe, quam quod ipſe habeat in limine, & primo intuitu aliquis objicere poſſet. Quid igitur in ſexu ſubſtantia, cum ipſe merum accidens?

12. Fatemur hoc, verùm cum illum non præcisè, & in ſuo formali (Philoſophorum linguâ) ſed materialiter in certo ſuppoſito conſideremus, ſubſtantialia illi eſſe negari non poteſt.

13. Quæ ea ſint habe. Partes hac voce dignamur, quæ naturam totius imitantur, & vices hujus entis ſupplent.

14. Hæ in ſexu variant, ſalvâ ſubſtantiâ, inſigni in utroque diſcrimine.

15. Facimus vero eas vel *principales, vel minus principales.*

16. *Principales* partes ſunt, quæ virum denominant, ipſa *genitalia* & *genitum* Medicorum nomine.

17. Non te moveat autem vocabulum partis. Novimus apud accuratos non omnia partis nomine venire: verùm cùm nec idèm utrobîque reſpectus facilis in his ens. Illic totum corpus, hîc ſexus ſolùm attenditur.

18. Diſtingui autem illæ ſolent ab unicujusque partis propriâ in elaboratione ſeminis functione, cui omnes deſtinatæ ſunt, & vel quidem ad ejusdem præparationem, confectionem, & receptionem, vel denique emiſſionem.

19. *Præparantes* numerantur *duæ venæ, & arteriæ*, quarum binæ in dextro, & totidem in ſiniſtro latere reperiuntur, illis à trunco cavæ, his ab emulgente ramo ortum trahentibus, venis ſanguinem craſſiorem, arteriis ſubtiliorem, & ſpirituoſum deferentibus.

20. Hunc ita leviter alteratum teſtes, & epididymides excipiunt, & in ſeminis naturam convertunt, quod ita confectum à veſiculis ſeminariis recipitur, & conſuetâ via emittitur, refer-

reſer, ıto tamen in proſtatis humore ſemen ab injuriâ, & acri-
[illegible] defen[illegible]

21. Hæc obiter inſpert[illegible] ſufficiant, ſpecialius attingere [illegible]noluimus, cum in his Medicorum filii ſatis perſpicui, & cution[illegible].

22. Accedimus ad ipſam *genituram, vel ſemen.* Iſtud ut vitæ theſaurus pretioſiſſimus viris ſolum à nobiliſſimo Peripateto attributum fuit, Medicor[illegible]cholâ tamen refragante.

23. Quærimus igitur & nos: *An* [illegible] *ſolus ſemine præditus?*

24. Ariſtoteles ita affirmantem ivit plu[illegible]tionibus, cui & adſtipulatur *Averroes* propoſitis in medium fun[illegible]mentis non ita infirmis.

25. Satisfacere vero huic quæſtioni videbuntur, ſi fœminas illo carere probatum dederint.

26. Palmarium pro hac ſententiâ argumētum eſt, quod cum ſanguinem maternū conferant ad fœtum, ſemen non poſſint. Inde enim ſequi quod ſufficiant ad generationem, & quod una forma duplicem materiam informare queat.

27. Quid? quod ad generandum ſemen mulier inepta, cum frigidioris complexionis ſit, quàm ſemen requirat, probante id experientiâ, cum voce, pilis, & corpore pueris ſimiles fœminæ. Unde tantum hæ ſeminis, quàm illi habituræ.

28. Tandem apertè id evincere conantur, quòd omne ſemen cum ſenſu voluptatis excernatur: hæ v. aliquando nullam ſentiant voluptatem, ut etiam in balneo inſcia quædam conceperit *Averroe* autore.

29. Sed ut ut non ſine pondere ſint hæ rationes, præponderant tamen illorum, qui contrarium tuentur.

30. Naturæ obſtant illis machinæ, quam nihil fruſtra moliri apud omnes in confeſſo. Quorſum illa membra ſemini aliàs inſervientia? quorſum tot ſolliciti meatus, & ductus, qui non ſine admiratione conſpiciuntur.

31. Oculi in inſpectione non fallunt, ubi ſemen ex teſtibus expreſſum, & aliquando eâ copiâ, excretum teſtantur, ut Medicorum impedierit operas.

32. Sed ad cadavera non tàm confugiendum, quàm ad aurâ

vitali veſcentes, quæ nocturnâ ſeminis emiſſione, gonorrhæâ, libidinum ſtimulis, quibus ſæpius in rabiem verſæ id [illegible] ex tum faciunt, quam ex ſuperfl[illegible] depletione ejusdem conſtat, qui factâ ad ſe redierunt, ut caſtratarum fœminarum in genere brutorum exſtin[illegible] ris ſileamus.

33. Allatis igitur prioris partis rationibus reſpondemus [illegible]odemque modo ſanguinem, & præcedere primam ſi[illegible] generationem ſtatueretur. Hoc ad εἶναι, ſemen [illegible] : hoc ad conſtitutionem facit, illud ad par- illud [illegible] conſummationem.

34. Nec frigiditas mulierum prohibet omnem ſeminis generationem, ſed æquè laudabilē fieri negat. In pueris tamen alia ratio, in quibus calor fortior, & prævalet nutritiva facultas, quæ partibus generationi dicatis parum relinquunt.

35. Quibus ſemen abſque ſenſu voluptatis elabitur, illæ uteri morbo laborant, & præter naturam fit, quod tamen de Averrois exemplo non videtur, ſed potius factum contra illam, aut merum figmentum eſt.

36. Qui enim uterus projectum ſemen attrahere potuit, cum non amplius fuit? Etenim illud totum aerium, & ſpumoſum, aëri expoſitum liqueſcere, aqueſcere, & infæcundum reddi Philoſophus ipſum l. 2. de Generatione animal. docere potuiſſet.

37. Sed ne evidentiſſimis hiſce rationibus ſuccumbere videantur, aliter palliare errorem ſatagunt, & ſpumeum humorem pro ſemine reponunt.

38. Verum cum eadem organa ſemen elaborantia in utroque ſexu reperiantur, quomodo uſus diverſus illis aſſignandus erit? Eadem organa eandem potentiam arguunt, nî naturam ipſam ſimus correcturi.

39. Utrique itaque ſexui manet ſuum ſemen, ſed diſpar. Viro nobilius, fœminæ ignobilius: hoc aqueum, & tenue, illud ſolidius, & magis ſpumoſum & effectivum.

40. Principaliores itaque partes, quæ ſexum maſculinum

num referunt, attigimus, aſſumentes nunc *minus principalem*.

41. *Barbam* hoc nomine indigitare voluimus primarium viri decus.

42. Cur minus principalem partem dixerimus, facilè conſtat, tùm quod non ſemper; etiamſi maximè debebat, adſit, tùm quod non pari paſſu cum prioribus ambulare ſtudeat.

43. Illæ enim in ſe unum adhuc ſunt: barba vero quoddam aggregatum. Jure ergo & hac ratione eo nomine fuit donata.

44. Cum autem ſit individuus virilitatis comes, & ſuâ natura index non ſolum roboris, ac virium, ſed latentium etiam animi qualitatum, fieri non poteſt, quin in noſtrum veniat cenſum.

45. *Lactant.* c.7. de Opific. Dei noſtræ ſententiæ ſubſcribit: Barbæ ratio, inquit, incredibile quantum ad dignoſcendam corporis maturitatem, ad differentiam ſexus, vel ad decorem virilitatis, ac roboris conferat, ut videatur omnino non conſtatura fuiſſe totius corporis ratio, ſi quicquam aliter eſſet effectum.

46. Cui ὁμόψηφος *Clem. Alexand.* l.3 Pædag. c 3. Hos pilos (ait) Deum T. O. M. tanti feciſſe, ut eos ſimul cum prudentiâ juſſerit hominibus adeſſe.

47. Dignitates hinc non parum ſuſtinet, varieque commendatur, quarum præcipuæ ſunt, quod ad *gravitatem, exiſtimationem, pulchritudinem, & ſapientiæ teſtimonium faciat.*

48. Prius *Livius* in Gallorum victoriâ contra Romanos inſigni illorum exemplo confirmat, quod etiamſi Galli rerum ſummâ potiti, veriti tamen fuerint in Romanorum conſpectum venire, nec tàm apertas quam clauſas invaſerint ædes, quod vultus, & oris gravitatem in illis obſtupuerint.

49. Unde & barba in truculentiæ ſignum apud quosdam abiit, quemadmodum de Britannis *Cæſar* narrat ideo prolixiorem ipſos aluiſſe barbam, ut eò terribiliores hoſtibus apparerent.

50. Gra-

50. Gravitatem itaque cùm maximopere barba conciliet, exiſtimatio ſponte ſequitur, quippe quæ illam pro fulcro, & fundamento habet.

51. Pulchritudinem vero non ſolùm cómmendat, ſed illa ipſa potius in viro dicenda ſecundum *Clem. Alexand.* qui congenitam & ingenuam vocat, ac, ut *Nicander Lacædemonius* voluit omnium minimè ſumptuoſus eſt ornatus.

52. Hæcque magis ex contrario eluceſcit, ſi vel imberbem, vel calvum ante oculos ponamus, quorum uterq; quàm contemptus ſit ipſa experientia loquitur.

53. Philoſophi vero illam, & præcipuè Stoa, pro infallibili quaſi ſapientiæ teſtimonio habuerunt, unde & proverbio anſam dederunt.

54. Hæc vel talia conſiderantes *Franciæ* Reges magno ſtudio in ſui ſucceſſione, & ſámiliâ óbſervarunt ut barbam omnes promiſſam alerent in majeſtatis procul dubio, & dominii ſignum.

55. Verè itaque digna, ut quæ Sacroſancta habita, per quam non ſolùm juramenta, præſtitere, ſed & quæ tantæ immunitatis ut pari paſſu cum corpore eat, nec attingere, multò minùs lædere alterius barbam liceat.

56. Admiratione vero majori dignum, quod de *Pedadenſibus* ſuper Halicarnaſſum refertur, quibus ſi malum imminebat, Minervæ Antiſtiti grandis citò barba adnaſcabatur.

57. Non poteſt igitur non in magno cuivis pretio eſſe, ob tot emolumenta quibus poſſeſſorem beat, etiamſi ipſa natura potiſſimam virilitatis notam non eam conſtituiſſet.

58. Sed quæritur: *An viris ſola & ſemper conveniat?*

59. Negans facilè ſuaderi poſſet, cum & barbatæ deprehendantur mulieres, & viri hoc decore deſtituti.

60. Sic in Gynecæo Archiduciſſæ Auſtriæ Anno *1605.* virgo prolixâ barbâ conſpecta: & contra non omnes viros eâ præditos eſſe experientia paſſim probat.

61. Verùm hoc nihil moramur. Præter conſuetum n. naturæ ordinem hæc fieri novimus, atque ita per accidens,

quate-

quatenus nimirum ſuo temperamento proximè ad viros accedunt

62. Quandoque nimis infauſtum ſignum, cum morbum vel mortem etiam illis annuntiet, quemadmodum de Phaetusâ *Hippocrates* refert, cui citiſſimè ob mœrorem ex obitu mariti barba enata.

63. De viris, qui eâ carent, facilis quoque reſponſio. Ut enim parte hac potiore virilitatis carent, ita multùm quoque de perfectâ virili conſtitutione decedit, ut nihil verius adhuc maneat, quàm quò magis aliquis vir, eò magis quoque barbatus conſpiciatur.

64. *An barbati ſint fœcundi* etiam quæri ſolet?

65. Ita putamus, cùm, ut quidam volunt, è materiâ ſeminis quoque ſuam originem trahat barba, ut ita non ſolùm copioſam illam, ſed & prolificam arguat.

66. Inde iis, qui citius quàm par eſt rei Venereæ dant operam, & barbam citius creſcere obſervatum fuit, hac de cauſa, quod renes incaleſcentes materiam ad maturitatem quoque deduxerint.

67. Si verò experientia diverſum ſuadet, ut vel imberbis fœcundus, vel barbatus ſit ſterilis, ex accidenti id ſolùm fit, cùm illi cutis denſitas barbæ proventum impediat, huic verò morbus, vel prava organorum diſpoſitio fæcunditatem adimat, atque ſic non ſolùm ſterilis, ſed & impotens eſſe poteſt.

68. Hæ igitur ſunt partes, quæ virum comitantur, illiusque dignitatem tuentur: plures adhuc illi vendicant, de quibus quoque diſpiciemus.

69. Quæritur itaque: *An vir habeat mammas?*

70. Ne habeat mulier partem, quâ viro potior, & illas natura ei appoſuit, diverſo verò fine, & ſtructurâ diversâ.

71. Viris ex adipe, cute, & papillis mammæ conſtant, ubi in mulieribus pluribus adhuc glandulis donatæ, quibus vis γαλακτοποιητικὴ conceſſa.

72. Sed quid? *Num viris lac denegandum?*

73. Minimè. Experientia reclamat, & tàm in brutis quàm hominibus lac reperiri, teſtatur.

 74. De

74. De capro *Ariſtoteles*, & noſtro tempore *Matthiolus* de hircis tribus refert tantam copiam lactis illos dediſſe, ut ex eadem coluſtra facta, ex his verò epileptici curati.

75. *Cardanus* autem non ſolum virum ſe vidiſſe aſſerit, qui tantum lactis habuerit, ut infantem alere potuerit; ſed & *Alexander Benedictus* narrat Syrum quendam mortuâ matre id feciſſe, quemadmodum de viris in novo orbe quoque circumfertur.

76. Sed ut in fœminis barba virum non arguebat, ita nec hic. Natura aliquando conſuetos limites transgreditur, & vires ſuas manifeſtat in illis, quod ut rarò, ſic & caſu fieri conſtat.

77. Sed ſatis jam ea, quæ rationem ſubſtantiæ in viris obtinent à nobis conſiderata; properamus ad accidentium numerum, ubi quid inibi ſeſe ad contemplandum offerat videbimus.

II. QUANTITAS.

78. Ductu quantitatis rite pervenimus ad illius ſpecies, quarum diſcreta altera, altera continua.

79. Paucis priorem abſolvemus. Quæritur non immerito; *An in utroq; ſexu partium numerus conveniat?*

80. Anatomici ſi hac de re conſulantur, non omnimodè iſtum convenire ajunt.

81. In *ſupremo* quidem *ventre* conveniunt, in medio & infimo verò diſcrepant.

82. In *medio* 90. glandulæ in mammis muliebribus abundant deſtinatæ à naturâ ad generationem lactis, quæ in viris non reperiuntur.

83. In *infimo* diſcrepat quoque numerus. Mulieres nec *paraſtatas*, nec *proſtatas* habent, quæ tamen in viris occurrunt.

84. Sed de *coſtis* vulgo ſcrupulus, *an harum idem numerus?*

85. Non nemo negabit, ſuamq; ſententiam ex Geneſi con-

confirmabit, ubi Deus ex Adami coſtâ Evam condidiſſe, carneque non coſtâ ſpâtium occluſiſſe dicitur. Unde aut plures antea Adamum habuiſſe colligitur, aut nunc minorem in viris exiſtere numerum.

86. Verum gerræ! Ex anatomiâ id ſatis perſpicuum 12. utrobique reperiri. Adamo unam exemptam concedimus, atque ita 11. illi manſerunt. Ut vero creari immediate peculiare ipſi fuit, ſic neque hoc in poſteros derivatum fuit.

87. In genitalium partibus inter ſe collatis numeri quoque ulterior diverſitas vix dabitùr, niſi quis illam in teſtium tunicis quæreret.

88. Harum quidem 4. in viris numerantur, ubi in fœminis tantùm duæ, ſed ſi exteriores tunicæ in viro attendantur, vix eo nomine venient, & potius ratione viri dicantur, de quo hîc ſolliciti non ſumus.

89. Teſtium quamvis communiter numerus cum mulierum teſtibus conveniat, in viro tamen majorem, & minorem repertum liquet. Sic *Franciſco Philelpho* tres fuiſſe *Cæl. Rhod.* Lect. Antiq. l.17. c.11. aſſerit, quod & de Principe bigamiam propterea expetente referunt.

90. Pauciores duobus teſtibus quibusdam fuiſſe etiam exempla confirmant de *Syllâ, & Cottâ*, quod *Ulpiano* ſingulare ſanitatis indicium videri ſcribit Id. l. 4.c.7.

91. Suturarum quidem numerum quoque in fœminis majorem eſſe ab *Ariſtotele* traditum fuit, utpote quibus ſutura recta in cranio ad nares pertingat per mediam frontem, ſed vanum eſſe docent Anatomicorum ſectiones.

92. *Continua quantitas* ſuggerit nobis iſtam quæſtionem, quâ de juſtâ ſtaturâ viri quæritur: *Quænam illius juſta quantitas, vel ſtatura ſtatuenda?*

39. Quidam hîc ad Adamum confugiunt, quidam ad Chriſtum, quidam ad corporis humani ſymmetriam.

94. Ipſum Adamum juſtâ quidem ſtaturâ a Deo productum, utpote in quo menſura humanarum perfectionum fuit, nemo facilè inficias ibit, ſed exinde uniuscujusque μέτρον deſumere ἄτοπον videtur.

95. Quid ſi ſecundum *Libavium* Gigas fuerit, gigantéa legitima ſtatuenda? vel ſi reſpicis illam, quâ creatus fuit ſecundum *Auguſtinum* Pygmæorum ſtatura concedenda?

96. Sed cum omnis exceſſus & defectus in vitio, neutram de his eligimus ſententiam.

97. Quidam Chriſtum ut mediocri, ita & legitimâ fuiſſe ſtaturâ ex loco *Paulino* ad Eph. 4. v. 13. demonſtrare conantur, illamque à menſurâ ſepulchri, quæ & heic in templo arcis oſtenditur, quam ita comparatam ajunt, ut nulli hominum quadret, arceſſunt.

98. Nihil huic derogare audeo, utpote cujus totum corpus miraculoſo & ſupernaturali modo productũ in omnibus, & ita quoque quoad ſtaturam abſolutiſſimum: interim illud de ſepulchro incertum & nimis lubricum videtur.

99. *Plinius* quod de ſymmetriâ dicit concedimus, cum corpus nequaquam ἀσύμμετρον ſit humanum, ſed nobis non de individuorum ſeparatim συμμετρία quæſtio eſt, ſed in genere de tali ſtaturâ, ad quam tanquam ad normam omnes menſurari poſſint.

100. Vix hanc dari puto, & pro diverſâ temporum ratione diverſam ſtaturæ menſuram ſtatuendam arbitror.

101. Sic qui nunc legitimæ forſan ſtaturæ judicatur, alio ſeculo in brevitatis notam incurriſſet, cum omnia decreſcere, & ad finem properare conſtet.

102. Aliam ſubnecto quæſtionem: *an vir majoris ſtaturæ, quàm fœmina?*

103. Affirmativa placet, & ita à natura primitus ordinatum patet, cum viro, cui temperamentum nobilius, nobiliorem quoque ſtaturam eſſe neceſſum ſit.

104. Quod verò de facto aliter reperiatur non nego: ſi tamen inter ſe conferendæ utriusque ſexus ſtaturæ, reſpiciendum ad temperamentum putarem, ut inter illos fieret collatio, quorum temperamenta debita proportione conveniunt, & ſic liquidò noſtram aſſertionem proceſſuram opinor.

105. Majora itaque omnia quoad quantitatem aſſignanda vi-

da viro inde apparet, ubi inter ipſos convenientia intercedit. Sed dubium eſt *de ſanguine*, qui *an tanta copia in viro ſit quàm in fœminâ quæritur?*

106. Mulieri majorem ejus copiam eſſe menſtrua arguunt, nempe ut non ſolum ipſi ſufficiat, ſed & fœtui communicari poſſit.

107. Verùm iſta hæc non expediunt. Cum enim minus venoſa ſit mulier teſte *Cælio* l.4.c.10.Antiq.Lect. tantum etiam ſanguinis habere non poterit.

108. Ad prius allatum dicimus, ſanguinem, quem fœmina dejicit, vel fœtui impendit, viri labore, aut inſito calore abſumi. Nihil ergo inde colligitur. De quantitate hactenus. Sequitur

III. QUALITAS.

109. Qualitates ſi introſpicimus, omnium maxima ſuppeditatur copia, quæ in viro conſiderationem non ſupinam meretur.

110. Qui primum hic occurrunt *habitus* ſunt, de quibus quæritur, *An præſtantiores ſint in viris?*

111. Non videtur adeò dubium, ſi vel divinitus infuſos, vel acquiſitos reſpiciamus.

112. *Hieronymi* quidem effatum, Virtutes non ſexu, ſed animo æſtimari: videmus tamen longè maximum harum in utroque ſexu diſcrimen.

113. Cum enim Deus O. M. virorum ſemper utatur miniſterio tam in Eccleſia, quàm Politiâ, fœminas, donis ejusmodi ab ipſo inſtrui non neceſſe eſt, ut ritè illo perfungi poſſint.

114. Obſtat ſanè fœminis naturalis imbecillitas, & innata ſuperſtitio, genuina illius ſoboles, ut paria cum viris minus facere queant. Nam ſi *Cælio* credendum, ut hebetiſſimus quisque eſt, ita facilè ſuperſtitionum vanitatibus mancipatur, ut habet is l. *16.* c. 4.

115. In ſcientiis floruerunt quædam, ſed rariuſculæ, tamen non quæ apud viros, ſed ſequiorem ſexum meritò ſuam obtinuerunt palmam.

 116. Il-

116. Illarum catalogum habes apud eundem autorem l.14.c.1. Lect. Antiq. de *Arete Ariſtippi* matre, μητροδιδάκτου cognomento, *Damâ* Pythagoræ filiâ, *Laſtheniâ* & *Axiotheâ*, quæ ſub habitu virili *Platonem* docentem audierunt, & aliis: verùm nos non tàm quærimus quid in unâ, vel alterâ repertum, quàm quod toti ſexui commune.

117. De prudentiâ majus ſemper certamen cum mulieribus fuit: hanc enim laudem, ægrè ſibi eripi patiuntur.

118. Unde curioſè nimis ſunt in inquirendis conſiliis tàm privatis, quàm publicis, & ad ſe quoque hæc ſpectare putant. Sic *Semiamim* primo Senatum ingreſſa fertur, Spartanarum verò mulierum, non ſolùm de privatis rebus ſententia obtinuit, ſed publicè de maximis rebus illam tulerunt.

119. Gallis etiam olim mos fuit, cùm ſemel mulieres, precibus & lachrymis inteſtina bella ſedâſſent, ut nunquam de bello & pace conſultarent, quin mulieres quoque præſentes haberent.

120 Quin Romæ in Quirinali colle Senatus mulierum fuit conſtitutus, in quem creberrimè itum, qui tamen mox capitali pœna abolitus, cùm nil ſtultius, quam ab inconſtantiſſimo genere conſtantem petere ſententiam.

121. Proin lege ritè cautum, ne publicis officiis præeſſe, vel magiſtratum gerere, aut judicis vices ſuſtinere poſſint, cui quotidiana vita teſtimonio ſuo ſuffragatur.

122. In mæchanicis illis ea reſervantur, quæ ad nitorem, & earum animum propius accedunt.

123. Inverſa tamen ratio apud Ægyptios, ubi fœminæ virorum officia obieruut, viris ſe domi continentibus, & quod cenſetur muliebris muneris tractantibus. *Cæl.* Lect. Antiq. lib. 18. c. 37.

124. In moralibus virtutibus nec diſpar cùm fœminis certamen, ubi ejusmodi exempla reperiuntur, quæ cum quibuscunque virorum factis in arenam deſcendunt. Exempla in promptu.

125. Ele-

125. Eleganter *Qvintilianus*: quamvis videatur ejus ſexus proprium, domi ſe continere, & levibus officiis affigi, & paſſim ut animal indomitum, & impotentis naturæ fœmina coarguatur; promere ſe tamen nonnunquam in eâ imbecillitate tantam rerum excellentiam, ut viros quoque quantumvis peregregios docere poſſit, quod in *Timoclea* probat *Ariſtobulus*, & in Thisbe *Theopompus*.

126. Recipimus hæc libenter: Interim rariores in illis reperiuntur, nigroque ſimillimæ cygno, & ita quidem comparatæ virtutes, ut ſemper in excellentiori gradu in viris conſpectæ fuerint.

127. Cauſſa patet. Affectibus enim magis obnoxiæ, quò majus virtus nullum habet impedimentum.

128. De *virtute Heroicâ* contentio, *an viro propria?*

129. *Plutarchus* eandem putat eſſe virorum & mulierum virtutem, & pariter *Plato* idoneos eſſe voluit ad virtutes quasvis. Verùm eadem reſponſione rem nos conficere poſſe arbitramur.

139. Tranſimus ad *potentias*: Sive jam corporis, ſive animæ ſpectemus, plures in viris eminere videmus.

130. Nobilis hic inprimis de temperamento offert ſe controverſia, quam & nos paucis delibabimus.

131. Quærimus itaque, *uter ſexus calidior?*

132. Pro mulieribus certatim depugnatur à variis, rationibus variis, quarum quasdam recenſebimus.

133. Quæ ab autoritate *Hippocratis, vel Scaligeri* argumenta deſumuntur ſcientes prætermus, ea viſuri, quæ ex rationibus, & experientiâ eruuntur.

134. Inprimis demonſtrare allaborant, quod corde & hepate ſint calidiore, quod ſanè ſi evicerint, nemo amplius refragari poterit, cùm ab horum principalium membrorum craſi, totius corporis temperies pendeat.

135. Cordis calorem ſecundùm facultates iis tàm vitalem, quàm *naturalem*, & iraſcibilem competere probant.

136. Vi-

136. Vitalem facultatem fortiores actiones in fœminis edere ſumunt ex pulſus celeritate, quæ à calore, ut omnes in eo conſentiunt.

137. Iraſcibili quoque viro anteſtare manifeſtum ajunt, quæ non aliunde quàm à calore, cujus ſit impellere ad iram & ferveſcentem ſanguinem reddere.

138. Ab animalibus quoque hoc comprobant rapacibus, quorum ſexus ſequior ferocior, & crudelior, ut urſa urſo, leæna leone.

139. Hepatis calorem à naturalis facultatis nobilioribus actionibus probant membratim, tàm ab accretionis celeritate, & maturitate, quàm à majore coëundi cupiditate.

140. Pro omnibus hiſce experientia ipſa loquitur. Citius pubeſcunt, ſemen effundunt, prolem ſuſcipiunt fœminæ, quæ ab alia cauſſa nulla quàm à calore prodire, facile liquet.

141. Ubi enim celerior accretio, ibi major nutritio. ubi hæc, ibi major copia ſanguinis, quæ non aliunde, quàm à fortiore hepatis calore, qui ſanguinem non ſolum, ſed & larga quantitate illum progenerat.

142. Sanguinem verò probum, ac laudabilem eſſe effectus teſtatur, cùm ipſarum habitus pinguior, qui ab oleo, ſi, & purioris ſanguinis copiâ, cum menſtruorum ſtata tempora, niſi fœtui alendo, vel lactando illum impendant.

143. Salacitas etiam illa unde, niſi à calore? Teſtantur hoc ipſorum teſtes, fontes caloris, qui totam viciniam illorum incaleſcere faciunt. Contra in Venerem viri frigidiores, ut de Scythis teſtatur *Hippocrates*.

144. Quin ſvadet hoc animalis etiam facultas. Senſus ſunt acutiores, muſculi volubiliores, memoria felicior, inventio ſubtilior, ut quotidie hæc, & talia videre licet.

145. Verùm ut plauſibilia, non tamen his quod volunt evincunt.

146. Contrarium facile ſvadetur, ſi conſideramus penitus maris ortum, & quæ in eo obſervantur.

147. Quic-

147. Quicquid enim ex calidiori ſemine, in calidiorē quoq; loco generatum, id quoque non poteſt non eſſe calidum.

148. Jam mares ex calidiore ſemine, ſecundum *Hippocratem* ex maſculino, quod in dextrâ parte, dextro ſcil. elaboratur teſticulo, generantur, & in dextra uteri parte geſtantur. Sequi igitur nullo modo aliter poteſt, quin naturæ quoque, & temperamenti ſint calidioris.

149. Dextram verò partem ſiniſtrâ calidiorem, apud omnes in confeſſo. Cui experientia ſuffragatur, dum agiliores illâ, quàm alterâ parte ſumus.

150. Deinde ſi ſpectemus conformationis tempus, citius abſolvuntur mares, unde & motus marium in utero prior motu fœminæ, quæ non ante menſem quartum, ubi ille tertio movetur: & maturior quoque partus in maſculis, qui plerumq; ſeptimo menſe fit, vitalisq; ut plurimùm, qui rarus in fœminis.

151. Quisjam horum effectuum alium nominaret autorem quàm calorem?

152. Teſtatur matris quoque poſt editum maſculum purgatio de illius calore, quæ breviore tempore perficitur, nempe ad ſummum 30. die, ubi in fœminis ante 40. d. teſte *Hippocrate* non abſolvitur quia calore ſanguinis ſuppreſſi reliquiæ magis abſumptæ.

153. Spectemus denique amborum habitum, & ſtructurā. Fœminę molliore, laxiore, & pinguiore ſunt carne, ut diffluere quaſi videantur, & omnia glabra appareant: ubi contra in mare ſoliditas carniū, vaſa ampliora, vox gravior, quæ omnia caloris indicia, qui iſta amplificat, ut frigus è diametro conſtringit.

154. Intueamur ultimò finem. In confeſſo, qui ſexus calidior, erit ad obeunda munera magis idoneus. Jam an dubium eſſe poteſt, marem potius quàm fœminam ad laborem creatum eſſe? Cui ergo laboris partes demandatæ, quidni ille à Creatore etiam illo corporis habitu donatus, ut id quod ſui eſt muneris, præſtare quoque queat?

155. Conceſſo etiam, naturâ mares frigidiores eſſe, continuis tamen laboribus calorem acquirerent, cum ut plurimum fœminæ inerti operâ.

156. Ab affirmante igitur meritò ſtamus, & marem fœminâ calidioris temperamenti eſſe concludimus.

157. Ad priora allata argumenta ſuppetit reſponſio, ne noſtræ ſententiæ obſtare poſſint.

158. Prius enim facilè concedimus, & in eo conſentimus, calorem membrorum principalium de temperamento quoque teſtari. Verùm iis, quibus id probant, non aſſentimur, cum aliam cauſam agnoſcant.

159. Pulſus celeritas non à calore prædominante, ſed anguſtia arteriarum orta partim à crudorum & frigidorum humorum copiâ oppreſſarum, partim naturâ ita conformatarum.

160. Iracundiam illis ſponte largimur, quâ ipſos viros quoque antecellunt; ſed non iram. Illa enim puſilli & turbati animi nota, & citò naſcitur, citò interit: hæc non niſi virorum, qui hac intrepidi, & magnanimi ad quævis pericula redduntur.

161. De beſtiis dicimus non ſemper, ſed caſu fieri quod ſæviores ſint ſc. eo tempore, quo pruritu afficiuntur, & amore fœtus rabie accenduntur.

162. Labaſcit igitur cordis calor, quem probatũ ibant. De hepate nunc quoque videbimus.

163. Largimur & hoc quod celerius creſcant, & ad maturitatem perveniant, citius pubeſcant, & ad rem Veneream idoneæ ſint fœminæ, ſed quod calorem id arguat, pernegamus.

164. Omittimus illius dicterium, qui citius creſcere, eas ut malam herbam, ajebat, & humiditatem potius in cauſſa eſſe dicimus.

165. Ubi enim humidum prædominatur, licet exiguus ſit calor, protrudit tamen iſtud, ut in fungis videmus, qui unâ nocte generari dicuntur.

166. Ita etiam mulierum humido abundantium corpora, imbecillis calor, auget, & ſic citius accreſcere facit, uti & contra accidit, ut ſicut in principio, ita & in fine ſit celeritas.

167. Et

167. Et potius majus indicium humiditatis, plus ſanguinis habere, quàm opus, cum nullus ſit calor, qui illum ulterius perficiat. Unde poſtea infans illum attrahit, & proprio calore in ſui nutrimentum vertit.

168. Salacitatem à calore tali eſſe nihil eſt. Humiditatē quoque cauſam agnoſcit. Cum enim omnia majori copiâ in iis ex humido conſlentur, facilius etiam vaſa ſemine opplentur, quod poſtea libidinis fomes.

169. Verùm cum non ita ſint negotioſæ, & exinde continuas ſibi his de rebus imaginationes faciant, ipſæ ſæpius in cauſa, quàm natura.

170. De corporis qualitate hactenus. Accedimus ad *animæ potentias*, quæ ut ſecundum gradus iſtius dividuntur, ſic & nos in progreſſu pergemus.

171. *Vegetantis* primum pelluſtrabimus potentias, ſed cum priores duæ ex dictis ſupra ſatis declaratæ, poſtremam aſſumemus, cui ſexus unicè militat.

172. Generatrici *σπερματοποιητικὴν* ſubordinamus quærentes *cui potiſſimum hæc in viris ſit aſſignanda membro?*

173. In diverſas hic abeunt partes. Quidam illam negant, quidam verò diverſis partibus corporis adſcribunt.

174. Horum quidam à toto corpore, ut ab *Hippocrate* factum; vel à cerebro, ut ſenſit *Plato*; vel à ſolidis corporis partibus; vel à tribus principalioribus membris ut *Avicenna* voluit, orui, & decidi putarunt, allatis variis argumentis.

175. Nobilis etiam Peripati aſſeclæ, qui κατὰ πόδα coryphæum ſequuntur hanc non agnoſcunt, longeque aliter de ſemine ſtatuunt.

176. Illud enim nihil præterquam merum ſpirituum, & animæ vehiculum ipſe opinatur Philoſophus, quod officiū ubi præſtiterit in utero reſolvi & evaneſcere, ſpiritibus poſtea pro materiâ ſanguinem maternum arripientibus, ex eoque corpus dolantibus, idem pronunciat lib. 2. de gener. Animal.

177. Indigitant ideò iſtud tertiæ concoctionis excrementum, cum unumquodque membrum demenſum ſibi

 ſum-

ſumpſerit, ſuperfluum maneat, & in prædictum uſum reſervetur, non aliter, ac ſanguis maternus ſuperfluus fluit in uterum, ut aut ejiciatur, aut in uſum à naturâ definitum convertatur.

178. Verùm cum ea non noſtra de ſemine ſit ſententia, & ſuperius virilia ratione ſeminis diviſerimus, nec non conficientis facultatis mentionem fecerimus, uni ex membris viri videl. teſtibus ipſam adſcribimus, quod ſi ritè aſſertum de illis nulla difficultas ſubeſſe poteſt.

179. Quod verò ſemen conficiatur à teſtibus probari poteſt dupliciter, tùm ab organo ad generationem deſtinato, tùm certâ ratione.

180. Inſpiciamus ſaltem teſtium naturam, & convenientiſſimam ad generationem ſeminis eſſe mox patebit. Subſtantia enim illorum alba, glanduloſa, ac ſpongioſa, quæ arguit facile, quod talis effectus illis conveniat, qualis in alteratione univocâ requiritur, ut mutatum indolem mutantis referat, ut in lacte quoque conſpicimus.

181. Jam album eſſe ſemen, rarum quoque apparet, quin & in cæteris apprimè quantum debet eſſe conforme viſitur, ut nulla hic repugnantia.

182. Fieri quoque generationem in illis teſtatur non ſolùm fabrica, ſed differentium venarum conditio.

183. Cum enim duo vaſa ad unum teſticulum ordinata, nempe una vena, & una arteria, unumquodque etiam peculiare aliquid, & quod ejus naturæ proprium afferet.

184. Vena itaque ſanguinem præparando, & arteria ſpiritum afferendo conſuetum munus hic quoque obibunt.

185. Diverſas igitur materias ex diſtinctis locis cum advehant, nec tamen diſtinctæ maneant, teſticuli unient iſtas, atque in ſemen convertent.

Quòd

186. Quòd verò in totum ſemen in teſticulis perficiatur αὐτοψία docet, ubi exprimi adhuc ex illis videre licet.

187. In teſtimonium ulterius experientiam advocare poſſumus, dum teſtes ex emiſſione tumentes deturgeant, & vel contuſi, vel refrigerati, vel inflammati omnem generationem prohibeant.

188. Evaneſcit ergò quod *Ariſtoteles* de ſuperfluitate alimenti voluit, cum nil tale hîc locum habere poſſit.

189. Aut enim prædictas venas pro deferentibus agnoſcet, vel aliam. Si illas, non video quomodo ſuperfluum tertiæ concoctionis talem naturam referre poſſit. Eſſet enim purus ſanguis, & ſi excrementum propriè deterius eſſet illo, à quo ſecretum. Si alios ductus habet, illos ut monſtret neceſſum eſt.

190. Sed ſuppetit, unde porrò ſententiam iſtam arietet, aſſignando teſtibus alium uſum, & noſtrum negando.

191. Primum teſtium uſum vult, ut cum ſint appenſi ad vaſa deferentia, ea diſtendant, ut ſemen, quod jam ut ſuperfluum, & perfectum per illa excernitur, amplioribus, & patentioribus factis iis, commodius decidere poſſit. Quod cum in caſtratis fieri nequeat, contrahi, corrugarique oportet iſta, atque impediri viam ſeminis, unde tota ferè natura poſtea mutatur, & corrumpitur.

192. Secundum uſum cor ſibi vendicare dicit, cum hiſce quàſi ponderibus depreſſum robur illius augeatur, id quod pateret, ex exſectis, quibus nimis laxum collaberetur, viresque totius corporis imminuerentur.

193. Tertium penis erectionem juvare ait.

194. Redolent hi uſus ſanè non vulgare ingenium, & ut ſolerter inventi, ita & de autoris genio teſtantur.

195. Verùm nullâ diſtenſione opus. Semen per ſinuoſos meatus aliàs ire ſolet ſine diſtenſione: multò magis viâ rectâ deſcendet. Nec ampliatione ullâ. Natura de his ſatis proſpexit, & hæc vaſa tàm firmiter cæteris membris attexuit, ut ſi vel maximè diſtendi deberent, non niſi reliquis quoque contractis id fieri poſſet. Taceo quod vaſa extensâ diſtenſione arctentur; & quod quibusdam animalibus teſtes non penduli, ſed dorſo annati.

196. Robur ex ponderibus iſtis cor acquirere qui poſſit, non video. Sunt enim venis exiguis ita affixi teſtes, ut nullam inde, ſi appeteret etiam, tenſionem cor ſentire poſſet: potius venis, quibus illud jecori combinatur, talem effectum adſcriberem, ſi ullà tenſione opus, cum ſibi ipſi vires ut officina ſpirituum, ſufficienter ſuppeditet.

197. Penis erectioni prodeſſe neque percipio. Si enim ſufficiens cauſa, ſemper erigeretur: ſpiritibus & muſculis id adſcribendum dixerim.

198. Quibus noſtram ſententiam impugnat, duo potiſſimum ſunt; quod nec omnibus animantibus, ut ſerpentibus & piſcibus teſtes inſint, & quod iis privata animalia coëant.

199. Poſterius exemplo tauri probatur ab *Ariſtotele*: Sacerdotis ab *Alberto*: & eunuchorum à *Scal.* exerc. 304. ſect. 1. qui teſtibus exſectis rem veneream obiiſſe perhibentur. De tauris *Varro* affirmat, quod ſi ſtatim poſt ſectionem admittantur, conceptio indè fieri poſſit.

200. Verùm prius in tantùm concedimus, quatenus intelliguntur teſtes, qui in perfectioribus animalibus conſpiciuntur. Tales iſtis ineſſe nec nos dicimus: interim ἀνάλογον quoddam in illis reperitur. Vndè eo reſpectu horum generatio imperfecta, illorum perfecta habetur.

201. Ad poſterius reſpondemus, nos coitum illis non ſimpliciter denegare, ſed fœcundum ſaltem. De tauro multi dubitant

tant, nec facilè crediderim poſt ſectionem poſſe fieri coitum, cum dolores libidinem facilè prohibeant.

202. Hactenus *Ariſtotelis* ſententiam penſitavimus: cæterorum aſſertionibus quid roboris inſit breviſſimis videbimus.

203. *Hippocratis* rationes, quibus à toto corpore ſemen manare probat ſunt, 1. quod in coitu totum corpus voluptatem ſentiat, qui indè à *Democrito* parva epilepſia vocatus. 2. quod hæreditarii morbi à quibuscunque partibus in ſobolem deriventur. 3. quod ex nimiâ Venere totum corpus marceſcat, & 4. denique quod in omnibus partibus nati parentum ſimilitudinem exprimant.

204. Verùm & hæc opinio argumentis ſolidiſſimis expugnata olim ab *Ariſtotele* 1. de gener. Animal. cap. 17. 18. & noſtro tempore à *Fernelio* lib. 7. Phyſiol. Nobis ſufficit ad rationes allatas reſpondere.

205. Voluptas illa non ex omnium membrorum dearticulatâ ſeminis deciſione (qui enim in momento hoc fieri poſſet?) ſed propter conſenſum partium fit. Ut enim ex unius membranæ læſione cæteræ afficiuntur, ſic multò magis participant iſtæ titillationis ſenſum ob ſeminis igneam, & aeream naturam membrum ſuavius afficientem.

206. Alterum, quod adducitur, contingens tantum, & experientiæ plerumque contrariatur. Corporis verò macies, & tabes inde, quia id Veneri impenditur quod aliàs nutritioni cæterarum partium debebatur, unde *Avicenna* quadragies ſeminis, quàm ſanguinis evacuationem corpori eſſe nocentiorem ſcribit.

207. Natorum ſimilitudo non tàm in materiâ, quàm in vi plaſticâ, & formatrice quærenda. Contrarium quoque fieri quotidiè cernimus.

208. A cerebro qui ſemen oriri contendunt, experientiâ ut plurimum, & auctoritate nituntur. Ex coitu enim cerebrum, ſpinalem medullam, & oculos affici dicunt, qui ſi immoderatus, tabem dorſalem afferre creditur: vel cerebri humores,

mores, unde calvities (quam ante Veneris uſum nunquam venire *Ariſtotel.* affirmat) vel etiam ipſius ſubſtantia abſumatur, ut *Albertus Magnus* de quodam libidinoſo refert, cujus in capite diſſecto exigua cerebri portio reperta fuit.

209. Scytharum quoque adducunt exemplum, qui ſine ſtapedibus equitantes coxendicis doloribus continuò correpti venam ponè aures ſecarunt, undè ſteriles redditi, quod ita ſemini per cicatricem obductam, vel ſpiritui vitali ob læſam arteriam via præcluderetur.

210. Autoritas præcipua *Platonis* in Timæo, qui ſpinalis medullæ defluxum; & *Alcmæonis*, qui cerebri portionem dixerunt. Ex quo fonte dimanavit illorum error, qui cerebrum, & illius oſſa ad ſeminis generationem facere ſibi perſvaſerunt.

211. Verùm nec hæc probant quod intendebant. Prima ratio cum ſuperius fuerit adducta eodem telo erit jugulanda. Quare novâ reſponſione minimè opus. Dictas verò partes inprimis ex coitu damnum pati putamus, cum nobilioris ſint ſubſtantiæ, & proximè ad ſeminis naturam accedant.

212. Scytharum ſterilitas aliam cauſam agnoſcit. Steriles non a venæ ſectione (quò enim externa iſta ſemen deduceret?) ſed à continuâ equitatione, & concuſſione vaſorum ſpermaticorum, quæ robore privantur, & ſic ſterilitatem inducunt.

213. Macrocephalos etiam producunt, qui cum generoſi, & in pretio habiti, nutrices arte id præſtiterunt per faſcias puerorum capitibus in oblongum colligatis, qui poſtea viri facti tales quoque progenerarunt.

214. Sed nec id probat quod debebat. De formatrice potius teſtatur hanc ab omnibus partibus originem trahere. Autoritati verò rationes præferimus, & opponimus.

215. Qui ſolidis partibus ſemen tranſcripſerunt, finxerunt illud ab iiſdem per venas minores in majores regurgitare, & inſtar ſedimenti cæteris humoribus innatare, quod poſtea à teſtibus attraheretur.

216. Vltima ſententia, quæ tribus principalioribus mem-

membris ſemen vendicat, vulgata eſt, nec ignota Poëtis fingentibus Martem cum Venere coëuntem à Mercurio qui cerebro, Neptuno qui jecinori, & Apolline qui cordi comparatur, reſpici.

217. Sed cum hæ opiniones cæteras rationes pro fundamento partim habeant, partim ex dictis convelli queant, recitaſſe ſit eorum refutaſſe. Manet igitur hæc potentia teſtibus.

218. Hactenus longiorem moram in generatrice traximus, de vi plaſticâ aliquid annecti poſſet, verùm reſervamus id commodiori loco, & relictâ facultate vegetante *ſenſitivam* intuebimur.

219. In apprehenſivâ verò ejus potentiâ ſubſiſtimus. Dimiſſis autem ſenſibus exterioribus, ex interioribus de imaginatione dubium movebimus, *An illa ſemini etiam virili ſpeciem imprimere poſſit?*

220. Tria ſunt quæ difficultatem in hac quæſtione adferunt, partim eorum acies, qui omnem vim imaginationi adimunt, ut ab *Eraſto* & autore *Scrutinii ingeniorum* fit; partim quod ſi affirmetur difficilis explicatu ſit modus; partim quod hoc altero ſuperato, incertum manere videatur, an viris etiam ea vis conveniat.

221. Prima difficultas non adeò nos fatigare poteſt, cùm experientia calculum nobis adjiciat, ut ſacra pagina & profanæ hiſtoriæ teſtantur. Illam vide Geneſeos 30. v. 39. has lege apud *Conimbr.* lib. 1. de gener. & corrupt. c. 4. quæſt. 30.

222. *Thomas* non ſolùm id audet adprobare, ſed vult ſexûs diſcrimen ante lapſum ex voluntariâ imaginatione totum dependiſſe.

223. De modo ardua difficultas. Deſcribitur verò talis, quod ſpiritibus idola phantaſmatum imprimantur, quæ ſi ſemini immiſceantur formatricem modificent, ut ad præſcriptum illorum agere eam oporteat.

224. Huic tamen plura opponuntur; qui fiat quod e. g. color, in phantaſiâ habens ſolùm eſſe intentionale, reale producere poſſit in fœtu.

225. Sed quomodo id fiat ſimilitudine declarant, quòd quemadmodum interventu accidentis ſubſtantia ſubſtantiam, ita & hic eſſe adumbratum, verum & perfectum producat, ita tamen ut non quolibet tempore id fiat, ſed materiâ etiam eò inclinante.

226. Hoc conceſſo dubium alicui oboriri poſſet: *an etiam in viris imaginatio hæc talem ſortiatur effectum?* Nos affirmamus.

227. Cum enim vir ſemen conferat, quidni & illi ab imaginatione ſpecies per ſpiritus imprimi poſſet? quippe utrobique obſtacula nulla.

228. Deinde cum viri ſemen magis activum, quidni & hac in parte primas obtineat, & muliebri prævaleat, cui hæc non facilè denegabitur.

229. Attigit hoc etiam *Ariſt.* ſect. 10. probl. 12. ubi rationem reddit diverſitatis formarum, quæ conſpiciatur præcipuè in hominibus.

230. Expeditis hiſce, quæ in apprehenſivâ facultate occurrunt ad tertiam ſpeciē hujus categoriæ delineandam accingimur. In reſiduis animæ potentiis quæ ſe obferunt, ex ſupra dictis, potiſſimum quo ad animam rationalem conſtare poſſunt.

231. In *patibilibus qualitatibus* præmittimus *animi affectus* ob præcedentium convenientiam ordine inverſo quærentes: *An vir iſtis pariter obnoxius ut mulier?*

232. Si à parte Stoicorum ſtandum, omninò tanquam opiniones rejiciendi eſſent affectus, nec viro ſapienti competere eos dicendum. Sed ne quid nimis.

233. Nos quæſtionis negativam adſumimus, illamq; rationibus facilè fulcimus. Suppeditabit a. nobis definitio primariam, quæ motus hos eſſe dicit, qui fiant cum mutatione naturali; quid per motum, & mutationem hic intelligatur, vide apud *Conimbr.* in diſp. 6. Eth. quæſt. 3.

234. Jam ea quoque facilius moventur, quorum natura ad motum pronior, quod ſi ita eſt, aſſertio noſtra obtinebit.

235. Ea verò quæ frigidioris, & humidioris naturæ ſunt facilius motum recipere, quàm ſicca, & calidiora, probatione non indiget. Motum enim non reſpuunt, ſed admittunt.

236. Mu

236. Mulieres igitur affectibus magis erunt obnoxiæ, cum illarum natura illi, quod facilè movetur, apprimè reſpondeat, cujus etiam rei fidem experientia facit.

237. Si *appetitum concupiſcibilem* conſideramus, an non ardentius amant, vehementius deſiderant, effuſius gaudent, gravius odio habent, magis averſantur, & intenſius dolent?

238. Si *iraſcibilem*, prolixè ſperant, facilè deſperāt, ultrò timent, levius in audaciam, & iram erumpunt, ut quotidianus uſus hæc omnia ſatis ſuperquè comprobat.

239. Reſpexerunt huc Sapientes, dum ab omnibus officiis, ut dictum, mulieres remotas voluerunt, cùm hi affectus rationi illarum maximè obſtent.

240. Conflâruut indè tot ſibi convitia, & paſſim malè audiunt à rigidis morum formatoribus, ut nil fœminâ dirius dixerint & ubique varium, ubique mutabile animal eſſe pronunciarint. Vide *Cælium* lect. ant. l.14 c.14.

241. Reſtant quæ in *qualitatibus patibilibus corporeis* occurrunt.

242. Primæ in ſexu, ut audivimus, diverſimodè ſe habent. Calor & ſiccitas magis viro, humiditas & frigiditas fœminis magis convenit.

243. Unde non ſolùm nobiliores, & præſtantiores à viro eduntur operationes, ſed & majoris cenſentur eſſe virtutis, & efficaciæ.

244. Ideò ſemen maris plus confert ad generationem, quàm ſemen mulieris. Hoc enim ab illo actuatur nihilquè produci poteſt ſine illius concurſu.

245. Non verò hac ratione omnem mulieris ſemini adimimus efficaciam & pro infœcundo habemus, ut *Albert. Magnus* & *Averroes*, ſed parem denegamus.

246. Indè ergò *ſecundæ qualitates* tales in viro occurrunt, quæ primarum indolem ſapiunt.

247. Vir igitur duriorum, & ſolidiorum erit membrorum, fœmina contrà, quod & veriſſimum videmus.

248. Illi injuncta laborum opera, huic partus munera ad quæ diſcrimine hoc maximè opus erat. Si n. in fœmina par con-

ſtitutio ad partum inepta eſſet, nec membra illius, videlicet oſſa *coccygis* & *os innominatum* ſe laxari, & diſtendi paterentur, quò fœtui tranſitum concederent.

249. Molliore conſtitutione & indè opus fuiſſe opinor, ut ſubtiliora non ſaltem membra natura efformare, ſed elegantiorem colorum formam inducere poſſet, qua ſe magis commendaret, & majorem viri gratiam ſibi conciliaret.

250. Ineptæ itaq; erunt ad duros labores, vir verò aptiſſimus.

251. Habent & inde hoc privilegium mulieres, ut nunquam calveſcant, nec frigus facilè ſentiant. Illud quia naturæ repugnat, ut quod à calore forti oriatur; hoc quia ſimilia ſimilibus gaudent.

252. Hæ quoque qualitates vocis diverſitatem in ſexibus cauſant. βαρύφωνοι viri ὀξύφωνοι mulieres, quarum vocum differentiam, ac decorum apprimè obſervavit *Homerus* ita canens:

Τῷδε βαρυστενάχοντι παρίστατο πότνια μήτηρ,
ὀξὺ δὲ κωκύσασα, κάρη λάβε παιδὸς ἑοῖο:

i. e. Huic autem graviter gementi aſſiſtit mater venerabilis, Acutè vero lamentabunda, caput ſui apprehendit filii.

253. Hæ etiam gravitatem & levitatem variare faciunt. Obſervatum enim antica in mulieribus poſticis eſſe ponderoſiora; contrarium verò in viris deprehenditur. Hinc *Plinius* lib. 3. cap. 10. tradit virorum cadavera fluitare ſupina, fœminarum verò naturâ velut pudori earum parcente prona.

254. Ut rem in pauca redigam, hæ qualitates omnium diverſitatum in ſexibus ſunt origines; ut, qui has in corporibus animadvertat plurium differentiarum rationem reddere citra pulveris jactum poſſit.

255. De *pallore* verò quæritur *an is virum deceat?*

256. Varias cum pallor habeat cauſas, nos ſolùm illum approbamus, qui ex ſtudiis contractus.

257. Tranſimus ad *quartam ſpeciem* ſcilicet ad *figuram*; In hac autem vel ſingularum partium, vel omnium in genere collatio inſtitui poteſt.

258. Cum hanc generatim ſumptam *pulchritudo* includat quæritur: *an mas, vel fœmina pulchrior?*

259. Ineptum hoc videri poſſet, ſi ad individua reſpiciatur, cum neque mas, neque fœmina hoc reſpectu ob inſignem formarum varietatem certâ prærogativâ gaudeat: ſed qui individua à contemplatione arcenda novit, de ſcrupulo relicto amplius conqueri non poteſt.

260. A viri parte ſtamus, illique pulchritudinem majorem tribuimus, quia primò productus, & ad illius ſpeciem mulier creata: hinc ut rerum cæterarum, ſic pulchritudinis quoque erit norma.

261. Dein ſi vel animi, vel corporis pulchritudinem ſpectemus vir palmam obtinet. De illâ quæ propria, & nativa pulchritudo, referens antiquam imaginem ſcilicet divinam, non eſt dubium, de corporis ſolùm hæſitare quis poſſet.

262. Statura quæ non exigua corporis pulchritudo in antegreſſis viro conceſſa fuit, membrorum diſpoſitio debita ut à viro mutuò accepta, nec hac in parte mulieri cedet; reſtat ſolùm coloris temperies, quæ etiam pulchritudinis non infima notæ.

263. Concedo iſtorum picturam elegantiorem in corpore muliebri melius exprimi poſſe ut adſperſus non innatus videatur, verùm colorum ratione virum causâ ſuâ excidere nego.

264. Quò enim anima nobilior corpore, eò etiam major illius pulchritudo. Vulgo hoc ægrè perſuadebis, qui ſi quod penes ipſum judicium, ab illo omne ſumit, verùm neque animadvertit fucum.

265. Obſervandum quoque probè ſi dextrè litem hanc componere velimus, quod in unoquoque ſexu, peculiare decorum reperiatur, quod ſi in alio pulchrum ſtatueres, ſine dubio errares.

266. Ejusmodi notas peculiares habet fœmina, quæ in vulgus notæ, & à *Catullo* expreſſæ, in viro itidem occurrunt ſingulares, in quarum judicio, & Perſæ acquieverunt ſemper naſutum eligentes Regem.

267. *Partes inter ſe collatæ* non inſignem diſcrepantiam habent, niſi quatenus ad ſexum referuntur. Sic in mulieribus inferiora capaciora, viris ſuperiora, & contrà.

268. De formâ tamen genitalium, quæritur, *an illa in utroq; ſexu una, eademq;*.

269. *Galenus, Avicenna, Rhaſes*, & alii in hac opinione fuiſſe commemorantur; ita ut *Galenus* in Anatomicis nihil frequentius ferè inculcarit.

270. Uteri potiſſimùm formâ id evincere conantur, utpote qui cum adnatis teſtibus ſcrotum referat, cervice verò reliquam virilis membri figuram exhibente.

271. Verùm uterus longè diſtat à ſcroto, quippè illius cutis carne, & membranâ referta, hujus rugoſa, & nihil eorum.

272. Taceo quod nec adnati teſtes utero, figurâ & temperamento virorum reſpondeant: quid? quod deſint paraſtatæ, quibus carere poſſe virum eſt ipſam naturam velle corrigere.

273. Cervicis uteri, & membri virilis ſimilitudinem, quod urgent, parùm proficiunt, cum aliqualis ſolùm, quæ rem expedire nondum poterit.

274. Attendenda organa virili ſexui neceſſaria non externâ figurâ, quam deficere cùm ſit demonſtratum ab Anatomicis, non eſt, quod diutius hîc laboremus. Tantùm de qualitate: excipit illam

IV. RELATIO.

275. Suppeditantur ſtatim in limine domicilii *relatorum*, quæ de neceſſitate hujus ſexus diſputantur, *an ſit neceſſarius?*

276. Non deſunt hac in parte vaniſſimi qui vel ex putri materiâ, ut *Avicenna*, opitulante Colchide, id eſt, formatum datrice; vel in furnulis, ut *Paracelſus*: vel ex Dæmonum congreſſu, ut *Valleſius* in ſacrâ Philoſoph. homines produci poſſe affirmare non verentur.

277. Quidam ad creationem ipſam provocantes, cùm longiore intervallo Eva producta aliam mentem Deo affingunt,

gunt, quaſi eo fine Adamum primò cōdidiſſet, ut ſolus viveret.

278. Verùm frivola, & impia ſunt omnia. Sexûs namq; diſcretio non fruſtra à Deo facta, ſed ut cuncta, ſapientiſſimo conſilio, tam neceſſaria nunc eſt. Quàm vel vivere, vel ſentire ipſum hominem, neceſſarium.

279. Omnia cùm à Deo perfecta creata, nec hominem in eo deficere par erat, quo brutum aliàs ipſi anteferri potuiſſet.

280. Comproduxerat Deus unicuiq; generi animalium ſuam ſpeciem ad ipſorum multiplicationem, hominem ab hoc excipi fas non erat.

281. Sed cum homo menſura reliquorum animalium, perfectiora omnia, conſequenter & ſexus perfectior ei competebat.

282. Ex intervallo, non tamen fortuitò, mulier aſſociata fuit Adamo, ideoque illi adducta, non comproducta, ut cerneret ſingularem Dei curam, & amorem, quo illum cæteris animalibus præferret.

283. Priores ſanè opiniones refutatione non egent, cum quod ſomniarunt in actum deductum nunquam demonſtrari poſſint. De Dæmonibus prolixè agere non licet, pari tamen paſſu has affanias cum illis ambulare dicimus.

284. Ad alia nos accingimus. Re ita altiùs repetitâ à*, quæri poſſet: *An imago divina ſoli viro competat?*

285. Affirmant *Muſculus*, *Neophotiniani*, & plures alii, tum ex 1. Cor. 11. v. 7. tum quod Eva deſtituta exactâ rerum notitiâ, lapſus origo fuerit.

286. Verùm hanc Theologis rem committimus, qui dudum hiſce helleborum præparârunt. Longè alio ſenſu id dictum à *Paulo*; nec ante lapſum ignorantia privativa, ſed pura neſcientia locum habuit.

287. De *dominio* viri hic nobis non exigua datur dicendi materies, qui divinæ imaginis rudera conceſsâ ſibi poteſtate tàm in bruta, quàm in fœmininum ſexum haud obſcurè refert.

288. Primùm n. nactus eſt privilegium dominandi in univerſum terrarum orbem, undè ſi hinc ad fœminam aliquid rediret, non niſi viri beneficio id fieret.

289. In-

289. In maritum verò mulieri nullum dominium, quia ipſa miniſtra ipſius, & in coadjutorium creatâ.

290. Quin totius quoque œconomiæ conſtitutio exinde perſpicitur, adeò ut quod viro, quod fœminæ attribuendum cuivis innoteſcat.

291. In fœminâ quàm latè pateat dominium JCti viderint: interim in eo plerique conſentiunt, quod famula illa ſit, & omnia ſervitia viro præſtare teneatur.

292. Quibus Juſtitiæ Sacerdotibus accedit quoq; *Ariſtoteles*, qui in eandem ſententiam non pauca commemorat lib. 1. Polit. cap. 2. & 8 item lib. 1. œcon. cap. 6. De relationibus hactenus: ſubjicienda nunc hiſce.

V. ACTIO.

293. Pervenimus ergo ad propriam jam virorum ſedem, in quâ latè illorum majeſtaš ſeſe diffundit. Noverunt hoc Græci adagio locum inde facientes quo dicebant, γυναικῶν μὲν τὸ λαλεῖν, ἀνδρῶν δὲ τὸ πράττειν.

294. Revertimur ad ea, quæ ſexum propriè concernunt, ubi ſe ultrò obfert nobilis quæſtio, *an uterq; parens ad generationem activè concurrat?*

295. Ardua quæſtio in Medicorum, & Philoſophorum Scholis vexatiſſima, quorum illi calculum adjiciunt, hi denegant. Ab utriſque ſat acriter pugnatur variis argumentis. Nos primò prioris ſententiæ rationes audiemus.

296. Inquiunt, una ſpecie forma unas, easdemque habet potentias. In fœminis eſt eadem ſpecie forma, quis ergò nec potentias concedere vellet?

297. Si easdem potentias, & πλαστικὴν habebunt, quia & hæc à forma manat. Conceſsa verò hac, actio illis derogari non poterit.

298. Poſito, quod nec ſeminis quidquam conferret mulier, nihilominus tamen ad generationem activè concurreret. Calorem enim ſuppeditat, proximum operationis inſtrumentum: quod dum Sol facit, agere, & generare dicitur.

299. Si-

299. Similitudo quoque matris in ſobole hoc comprobat, cujus nulla alia ratio, niſi activa quædam vis illam imprimens, dari poteſt.

300. Experientia quoq; huic ſuffragatur, ſi caper cum ove coëat, quod tunc ovis durioris lanæ generetur. Id ſi aliam agnoſcit cauſam, quàm vim ovis agentem, illa adducenda erit.

301. Reperiuntur denique animantia quædam, in quibus nullus mas, ſed ſolùm fœmina, ut de piſcibus *Ariſtoteles* refert l. 6. hiſt. animal. c. 13. Hinc non obſcurum, cùm utriusque facultatem in ſe fœmina continere poſſit, actionis munus in generatione illi rectè aſſignari.

302. Qui contrarium afferunt, partim priora pro fundamento ponunt, quod non habeant ſemen mulieres: partim novis id adſtruunt rationibus. Sed cùm priora ex ſuperioribus ſatis clara; rationes eorum expendamus.

303. Ita verò ratiocinantur: Si mater activam vim haberet, ſula absque concurſu viri generare poſſet, quod tamen hactenus contra conſuetum naturæ curſum.

304. Dein, cùm ſemini earum nullus poſſit attribui uſus, quem virile non ſufficienter præſtet; quærere, in illarum ſemine vim agentem ſupervacaneum eſſe arbitrantur.

305. Probant hoc ab ovis, quæ niſi maris ſemen iisdem communicatum, pullis generandis inepta evadere, conſtet.

306. Sed ad prius reſpondemus; hoc inde non ſequi. Imperfecta enim fœminini ſeminis vis, ut niſi ab alio actuetur, per ſe nihil efficere poſſit. Itaque ut ambo inter ſe conſpirent, ac mutuas invicem operas tradant, neceſſe eſt.

307. Ab allato exemplo id probo. Gallina illam facultatem habet, ut diſtinctis partibus ita ovum formet, ſicut hoc generatio pulli requirit, quam tamen à ſe in actum deducere non poteſt, niſi maris facultas accedat.

308. Habet proinde gallina potentiam diſponendi ovum ad generationem, ſed perficiendi, & plenè, ſive ultimò actuandi vim minimè.

 309. Sup-

309. Suppeditatur nobis inde ſecundi quoque argumenti ſolutio. Uſus enim ſeminis inde manifeſtè apparet, ſolum quippe maris ſperma non ſufficit, ſed ex unione utriusque fit tandem generatio.

310. Annectimus huic aliam quæſtionem, & quidem hanc: *cui ſexui ſeminis emiſſio majorem voluptatem afferat?*

311. *Tireſias* vates utriusque voluptatem expertus pro fœminino calculum tulit.

312. Verùm duplicem importat ſenſum quæſtio, & vel de majori duratione, vel de majori intenſione voluptatis intelligi poteſt.

313. Sin prius: *Tireſiæ* ſuffragamur. Quò enim longiores ductus ſemen perſequitur, eò diutius etiam afficit: qui meatus, cùm in fœminis, præſertim verò gravidis, reperiantur, ſemen non ad cornua, ſed per latera ad cervicem uteri ducentes, longiori morâ, & voluptate id fieri inficias non imus.

314. Sin poſterius intelligitur, mares dicimus intenſiorem voluptatem ſentire, quia ſemen calidius, & ſpirituoſius impetu majori erumpens, majorem quoque voluptatis ſenſum parit.

315. Succedit quæſtio alia: *Erectio membri, quo viri ſumus, num naturali, vel animali facultati adſcribenda?*

316. Breves erimus, ne accendendæ libidinis potiùs, quàm comparandæ ſcientiæ gratiâ à nobis hæc prolata putentur. Ambæ hîc conſpiciuntur. *Animalis* cernitur in imaginatione, quæ motrici facultati injungit, ut ea, quorum imagines antea confinxit, per deſtinatos muſculos tanquam eorum rectrix exequatur: quo facto, ſenſus voluptatem inde percipit.

317. *Naturalis* elucet ex organis, utpote duobus ligamentis, calore, item ſpiritu venas, & arterias implentibus: quæ omnia ad naturalem facultatem pertinent.

318. Dicimus ergo uni non convenire, ſed mixtum eſſe actum, cùm hæ duæ potentiæ ad effectum concurrant, & neutra ſine alterius ope illum producere poſſit.

319. Pii,

319. Pii, & devoti quidam, in quorum quoque numero *Jeſuitæ* cenſeri volunt, hanc quæſtionem movent: *an ad evitandas libidines membrum virile vel demetere, vel caſtrare ſeipſum ſit licitum?*

320. Prius refertur de *Origene* à *Cælio*: Poſterius *Jeſuitæ* ſtatuerunt. Nos negamus.

321. Quia enim caſtitas donum Dei ſingulare, noſtris illa viribus comparari non poteſt. Et forſan iſti homines parùm proficiunt, cùm animi impuritas eo ipſo non exſtirpetur.

322. Perperam igitur faciunt, & potiùs Dei iram quàm favorem ſibi conflant propriis illis & effictis mediis, quæ ſeveriſſimè in verbi divini tabulis prohibentur. Actionis jam finis eſto: paucis deinceps attingenda

VI. PASSIO.

323. Paſſionibus ferè nullis vir, quà vir, eſt obnoxius. Repugnat enim hoc illius naturæ, niſi quis talē fingat, quemadmodum ii, qui transformari eum in fœminam poſſe exiſtimant, cujus ut veritas conſtet, *an talis transmutatio per naturam poſſibilis*, quærimus.

324. Qui affirmativam ſententiam defenſitant ſimilitudinem organorum utriùsque comminiſcuntur: quàm bellè & eleganter, ſupra audivimus.

325. Sed ad exempla confugiunt, quorum magnum catalogum promunt ex *Plinio* l. 7. cap. 8. *Fulgoſo* l. 1. cap. 6. *Sabell.* l. 9. cap. 8. *Livio* lib. 4. de bello Punico. *Gellio* l. 9. c. 4.

326. *Keckermannus* quoque l. 5. Phyſic. c. 3. militem adducit, qui in Ungariâ plures annos ſub Comite Mansfeldico ſtipendia merens, in Martis & Veneris caſtris antea ſtrenuus, tandem in fœminam converſus fuerit, non ſecùs atque beſtia illa, de quâ ita canit *Ovid.* l. 15. Metamorph.

-- -- -- quæ modò fœmina tergo
Paſſa marem, nunc eſſe marem, miramur hyænam.

327. Verùm ad paulò ante allata exempla, niſi ſpuria,

reſpondemus: illa ſimplicem ſexûs transmutationem non-dum nobis ſvadere poſſe: ex errore enim viri pro fœminis primò habiti, cùm genitalia illorum interiùs latuerint, & ſub rimæ aſpectu intuentes fefellerint, quæ poſtea aucta prorupe-runt, quale exemplum *Pinæus* refert ſuo accidiſſe tempore in puero, qui licet ut fœmella baptizatus, mox tamen pro mare fuerit agnitus.

328. Si accuratius quoque ſupra citatos autores, excepto unico *Keckermanno*, expendimus, de ſolis fœminis talia narrari animadvertimus, quod ipſum noſtram ſententiam nimiũ quantum ſtatuminat. In muliebris enim corporis ſpecie nihil vetat adeſſe virilia illegitimè diſpoſita, eaque ſuo tempore emergere, ac naturæ luſum revelare.

329. Viri verò transmutatio, quò paucioribus exemplis confirmatur eò ægriùs fidem meretur.. Non enim video quî intrò recipi genitalia poſſint, utut ficta membrorum etiam convenientia concederetur.

330. *Keckermannus* quod affert exemplum aut portentoſum, aut fabuloſum putamus. Hyæna autem vel ſexu non diſtinguitur, ut imperfecta animalia: vel commentitium quid, ſecundùm *Ariſtotelem* l. 6. hiſt. animal. cap. 32.

331. Viro itaque nec transmutationem, nec alias paſſiones tribuendas arbitramur, niſi quis illas arripere vellet, quæ non ut viro, ſed ut animali illi conveniunt: quas ſalvâ animalitate eidem denegare non poſſumus. Abeat paſſio: Succedit

VII. QUANDO.

332. Vix viri dignitas, & præcellentia ullibi magis apparet, quàm in hac entium claſſe. Temporis enim prærogativam ubique ille obtinet..

333. Ab ipſo conceptionis momento generoſa indoles ſtatim ſe prodit, ubi omnia in eo citiùs ad perfectionem tendere animadvertimus,

334. For-

334. Formatur in utero omnium citiſſimè. Nimirum perficitur formatio maris die 30, cùm in fœminis 40. demum vel 42. id fiat. Sic moventur & calcitrare incipiunt mares in utero die nonageſimo, qui tertium menſem complet: contra fœmellam menſe quarto, die centeſimo primùm membra jactare, atque moveri, compertum eſt.

335. Unde & partus pueri maturior, nunquam tamen ordine naturæ conſveto ſeptimeſtri prior.

336. Cauſſa in temperamento quærenda, quod quale ſit, ſuperiùs dicta monſtrabunt.

337. Sed non ineptè dubitare quis poſſet: *Cur*, contra quàm fit in fœminâ, *maris in utero velocior, tardior extra eum accretio?*

338. In cauſa itidem calorem eſſe putamus. Hic in ſemine, unde ille formandus, vehementior, qui πλαστικῇ facultate tanquam directrice non ſolùm efformationem citiùs promovet, ſed & membris abſolutis majus nutrimentum digerit, unde accretio celerior, quæ partûs cauſa.

339. In lucem jam protractus calor cum corpore auctus non ſolùm nutrimentum aſſumptum facilè conſumit, ſed & membra exſiccat, quod accretionem impedit.

340. E diametro in fœminis exiguus calor formatrici tàm fortiter ſuccurrere non poteſt, undè tardè & lentè omnia procedunt.

341. Extra uterum verò alia ratio. Humidum corpus quia affertur, facilè id propter mollitiem extenditur calore minùs obſtante, utpote qui debilior.

342. Cæterùm huc pertinet ætas, quæ definiente *Scaligero*, Exerc. 359. ſect. 7. nihil *eſt* aliud quàm *rei exiſtentia ſub tempore*, cujus varii ſunt tractus, varii item flexus, à quibus vir diverſimodè denominatur.

343. Hinc ſtatim natus puer appellatur βρέφος, mox παιδίον: ubi jam inceſſus datur pædarion: poſt dicitur παι-

διοπ@ · at παῖδα nuncupabant olim, qui Encyclicas diſciplinas obire valebat. ἔνηβοι i. e. puberes, vocantur qui annum quintum & decimum vel ultra nati ſunt; ἄνηβοι verò i. e. impuberes duodecimum, aut eo etiam minores. Paulo poſt initium pubertatis mas audit miracion: inde mirax qui & neaniſcus, vel neanias i. e. juvenis. Ex hoc evadit nymphius, velut ſponſum dicas: inde vir νέ@, i. e. juvenis, mox vir μέσ@ i. e. medius, inde à canitie hypopolios, poſt geron i. e. ſenex, qui & presbytes: inde eſchatogeros, poſtremò poliocrotaphus. Vide *Cælium Rhodig.* lib. 19. A. L. c. 22.

343. Aliàs aureæ ætates in vita tres conſtituuntur, nempe: Juventus, Virilitas, Senium: Nam infantiam & decrepitam tantùm abeſt voluptatem adferre, ut moleſtiam potius hominibus creent.

344. Temperamenta etiam ætatum variant, ſiquidem in juvenibus effloreſcit ſanguis; in vigentibus ξάνθη χολή; in mediis μέλαινα, in ſenibus Φλέγμα prædominatur.

345. Mutationes inſuper notabiles fieri juxta ætatum intervalla anni climacterici ad ſatiem oſtendunt. De quibus omnibus plura qui cognoſcere velit, conſulat *Cælium Rhodig.* lib. 19. cap. 21.

346. Hæ etiam ætates aptum reddunt virum ad multiplicia munera obeunda, ut è quotidiana vitâ conſtat.

347. *De tempore, quo matrimonium inire conveniat?* dubium.

348. Ad certos annos illud adſtringi non poteſt. Ut tamen in ætatem maturam usque differatur, ſanitas & Reipublicæ ſalus ſvadent. Si enim generatrix facultas ad opus provocetur antequam auctrix operari deſierit, idem quod in pomis præcocibus contingere videmus, dubio procul accidet, qui cùm juſto citius fructum ferant, ad debitam maturitatem non perveniunt. Quanti autem civitati interſit in hiſce rationem ætatis habere, prudenter monet *Ariſtoteles* lib. 7. Polit. cap. 16. & 17.

349. Ger-

349. Germani certè idem obſervarunt, qui nunquam, teſte *Tacito*, ante annum 30. matrimonium inierunt, quorum veſtigia non omnes hodiè legunt. Sed hæc curent qui talia. Obfert ſe nunc,

VIII. UBI.

350. Nec hic deficit anſa contemplationem noſtram perſequendi. Plura enim in hac claſſe ſubminiſtrantur nobis, quàm quæ ex inſtituti noſtri præſcripto tractare, & evolvere liceat.

351. In ſexu viro ſemper eſt potior locus à natura in ipſo generationis momento conceſſus.

352. Digniore in ipſo utero donatus ſitu, utpote qui parte ejus dextrâ gaudet, ubi contra fœmina formatur in ſiniſtrâ.

353. Quid? & in dextrâ parentis parte maſculum progenerari Medicorum Schola docet undique majeſtate non obſcuris ſe prodente indiciis.

354. Totum hoc dependet à temperamento, quod in viro longè præſtantius eſſe, quàm in fœminâ, ſæpius dictum.

355. Varia interim loca, & regiones non ſolùm temperiem, ſed & ipſum animum mirificè adficiunt, ita ut non minor horum, quàm illorum detur varietas.

356. Quantam animo iſta afferant mutationem audiamus acerrimum acerrimi *Scaligeri* judicium, ne noſtris viribus majora attentemus, qui lib. 3. Poëticæ cap. 16. ſequentia liberè & acutè, ut ſolet, profert. *Thraces*, inquit, *Myſi, Arabes, Moſchovitæ, Pæones, Hungari, Prædones: Illyrii, Liburni, Dalmatæ, jactabundi:* GERMANI FORTES, SIMPLICES, ANIMARUM PRODIGI, VERI AMICI, VERIQUE HOSTES: *Svetii, Norvegii, Gruntlandi, Gotti, beluæ: Scoti non minus: Angli perfidi, inflati, feri, contemptores, ſtolidi, amentes, inertes, inhoſpitales, immanes: Itali cunctatores, irriſores,*

tes, factioſi, alieni ſibiipſis, bellicoſi coacti, ſervi utne ſerviant, Dei contemptores: Galli ad rem attenti, mobiles, leves, humani, hoſpitales, prodigi, lauti, bellicoſi, hoſtium contemptores, atq; iccircò ſui negligentes, imparati, audaces, cedentes labori, equites longè omnium optimi: Hiſpanis victus aſper domi, alienis menſis largi, alacres, bibaces, loquaces, jactabundi, faſtus Tartareus, ſupercilium Cerbereum; avaritia immanis; paupertate fortes, fidei firmitas ex pretio, omnibus nationibus & invidentes & inviſi: una natio illos ſuperat animi pravitate, magnitudine vincitur Ligures.

357. Imò non ſolùm loca & regiones temperamenta ſexuum, ſed & ipſum ſexum variant. Si enim *Bodino* credimus ad ſeptentrionem aut par aut major eſt marium quàm fœminarum copia; ad Auſtrum verò multò plures in omni genere animantium viſuntur fœminæ, quàm mares, ut habet lib. 5. de Republ. cap. 1. De Ubi hæc commentari libuit. Sequitur

IX. SITUS.

358. Hic jubemur iterum corporum diſcrimina inſpicere, in quibus nusquam majus ferè apparet, quàm in genitalibus.

359. Hæc viris natura exterius appoſuit, fœminis interius, non ſine providentiâ, ut quæ nihil fruſtra molitur.

360. Cauſſam iſtius multi ſollicitè indagârunt, inter quos *Ariſtoteles*, & *Galenus*. Duas verò hujus rei aſſignant rationes, unam à caſtitate, alteram à commoditate petitam.

361. Virum ſcilicet caſtiorem voluiſſe naturam quàm fœminam, atque illius gratiâ exterius illi appendiſſe genitalia, ne continuo pruritu agitatus vitæ filum ſibi abrumperet, inquè negotiis tractandis remiſſior eſſet.

362. Tali quoque ſitu genitalium eidem conſultum, ut ad labores graviores faciliùs ſuſpiciendos, ac finiendos, promptior eſſet, qui alioquin impedirentur.

363. Hoc ipſo denique naturam monſtraſſe & intimaſſe

maſſe quibus officiis virum vel fœminam deſtinare voluerit.

364. Omnia ſapientiſſimè in hoc maximo miraculo conveniunt, temperamento palàm reſpondente Situ, ut nihil promptiùs, quàm dijudicare naturæ intentum.

364. Domi igitur continebit ſe mulier, & ſedentariam vitam aget: vir, ut ſe ſuosque alat, ac ſuſtentet, juxta *Horatii* verba l. 1. Epiſt. epiſt. 1.

Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes
ſudare, ac algere cogitur.

366. Quæritur hac occaſione, *utri ſexui ſedentaria vita magis competat?*

367. Audimus non ſolùm temperamento mulierum conventientius illâ nihil eſſe, ſed & per ſitum adumbratam.

368. Si tamen quis urgeret, illam & literatis competere, neque multùm refragabimur.

369. Nihilominus omnem meditationem ſedendo peragendam negamus, cùm nil magis aliquando officiat. Obtunduntur enim non ſolùm ſpiritus, ſed & maximo cum ſanitatis damno eſt conjunctum. De quibus vide ſis Didacticos.

370. Si quæ tamen officia ſunt, quæ virorum propria, nec niſi ſedendo perfici ſolita, plerumque talia conſpicimus, quæ fœminarum indolem maximè ſapiant. Sed mittimus Situm, quem tandem excipit

X. *HABITUS.*

371. Ad exteriora, & finem jam prolabimur. Hic quoque pluſcula nobis occurrerent, niſi vela forent contrahenda. Pauca ex iis excerpemus.

372. Obtinent viri habitum mulieribus non competentem, quippe magis piloſi ſunt, fœminis mollibus, & glabris exiſtentibus.

373. Ex calidâ hæc piloſitas oritur naturâ, ut ob id au-

 daciſſi-

dacifſimi habeantur, approbante id ipſum experientiâ, qui circũ præcordia hirſuti conſpiciuntur, quemadmodum etiam de pilis, qui ſub alis ſuccreſcunt *Juvenalis* teſtatur, quando ait:

— — — dura per brachia ſeta
Promittunt atrocem animum.

374. Barbatum verò eſſe virum, non ſolùm decor, ſed & genuinus ejus ornatus, ut ex illis, quæ ſupra attulimus, conſtat.

375. Cùm itaque vir à muliere plurimùm diſtet, meritò etiam exterior habitus diſcrepantiam illam arguere debebat, naturâ tacitè id præcipiente.

376. Hinc omninò graviter peccant illi, qui mulierum ornamenta aſſumunt, ac viri majeſtatem hoc pacto dehoneſtant. Proinde tales in effœminatorum numero cenſendi, ut *Heinrici* VI. Legati *Alexio Angelo* Principi Byzantino vehementer id exprobrarunt.

377. Veſtimentorum diverſitatem non ſolùm natura voluit; ſed & ipſa ratio ſuadet. Quæ verò ſit, cuivis ſeculi prudentiæ relinquimus.

378. Sed armatura eſt proprium viri indicium, quam in tempore neceſſitatis deponere, & ipſum virilem animum exuere, eſt in mulierũ naturam migrare, ut Majores noſtri cenſuerunt, à quibus quanta ei acceſſio facta, loquitur ſtatus hodiernus, ut etiam Jovis iram iſtis imitari poſſint, dicente *Scalig.* Exerc. 99.

379. Copioſiùs de his omnibus differendi adeſſet materia, verùm ne ſacco ſeramus, ſubſiſtimus, annectentes hanc quæſtionem: *An permutatio veſtium diverſi ſexûs ſit licita?*

380. Unde huic quæſtioni inter Chriſtianos locus factus, omnibus patet. Nos putamus, pro diverſo fine variare ſententiam.

381. Si libido ſuadet, maximè locus anathemati, quod eſt apud *Moſen* Deut. 22. 5.

382. Si

382. Si alius honeſtus finis, etiam veſtium permutatio permitti poteſt.

383. Diffuſè hæc hactenus ſatis, nec tamen omnia ſatis fuse. Diſputationis terminos transgreſſos, quis diceret? Sed qui argumenti amplitudinem conſiderabit, & noſtrum inſtitutum, aliter ſentiet. Si in nonnullis prolixiores, in quibusdam ſtrictiores videbimur, ſcito illud rerum copiæ, hoc pagellarum inopiæ, utrumque noſtri fuiſſe arbitrii. Sufficiat digitum ad ea intendiſſe, quæ apud alios vel clariora, vel uberius tractata extant.

Ad
Præſtantiſſimum, ac Literatiſſimum
DN. RESPONDENTEM
EPIGRAMMA.

Quanquam fortuitò ſexus, GODOFRIDE, virilis
Materiem doctæ præbuit exetaſi,
Fortuitum tamen hic nihil eſt, niſi forſitan ordo,
Gnaviter amplivagum qui premit Entis iter.
Unicus ille tot ambages, tot ſemina rerum,
Argumenta novæ continet Iliados.
Quam cum tu theſibus valuiſti prendere molem
Sicut Atlas, quivis te videt eſſe virum.

M. GODOFREDI CUNDISII
Præſidis.

Sappho.

ISt das ein Lob / vor allen andern dingen /
Das groſſe Volck die Männer vorzubringen /
Vnd alſo weit ſich von den Weibern ſchwingen /
Die vns ſonſt nehmen ein ?
Wer kan das thun ? Herr Slutter / das Gemüthe
Das euch beſitzt / vnd durch des Phebus Güte
Sich wendet ab in ſeiner zarten Blüte
Von dieſer ſüſſen Pein.
Ja wer es lobt dem wird Apollo geben
Das brave Lohn / wornach Gelehrte ſtreben:
Ihr aber werdt nach ewren Tode leben;
Fahrt fort mit fleißig ſeyn.

fac.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rapt.

M. Johan Iſaac Schmiedt /
LL. Stud.

Errata, *Th. 56. l. adnaſcebatur, th. 118. l. curioſæ, th. 182. l. deferentium. th. 278. pro altero puncto comma ſubſtituatur. Cætera candidi lectoris judicio relinquimus.*